



692









16a

DISPUTATIO  
DE  
VERBORUM  
OBLIGATIONIBUS  
SEU  
STIPULATIONIBUS,

*QUAM*

PRÆSIDE

DN. PETRO MÜLLERO,

U. J. D. & Prof. Ordin.

*Ad d. Novembr. cl. l. c. LXXXII.*

In Auditorio Jctorum

Publice ventilandam sistit

AUGUSTUS Hoffmann / Halâ-Saxo.

---

JENÆ, Charactere NISIANO.

17. Hc. Magnific. H. Hoffmann Gueltern



THEOPHILUS

OBBLIGATIONIBUS

IMBIBENTIBUS

MASSIDE

BY THE REV. J. MILLER

IN THE YEAR 1837

AUGUSTUS

1837





DISPUTATIO XXXVIII.

De

Verborum Obligationibus seu  
Stipulationibus. [a]

THESIS I.

**S**tipulatio [b] dicta à stipulo, quod veteres firmum, appellarunt, hoc autem à stipite, est *contractus juris civilis legitima interrogatione & responsione perfectus.*

TH. II. *Dividuntur stipulationes, (1) quod aliæ sint judiciales, quæ à iudicibus in iudicio negotii firmandi causa fiunt, utpote sunt de dolo cautio, vel de persequendo servo. Aliæ prætorie, quæ Prætoris autoritate constituuntur, veluti damni infecti, vel legatorum §. 2. Inst. d. divis. stipul. Aliæ conventionales, quæ spontè & voluntariè ab utraque parte contrahentium fiunt, quarum totidem genera sunt, quot, penè dixerim rerum contrahendarum §. 3. Inst. eod. (2) quod aliæ consistant in dando, aliæ in faciendo l. 2. in pr. ff. d. V.O. Et quoniam facta pleraque sunt individua, fit ut quædam stipulationes sint dividuæ, quæ partium præstationem recipiunt, & ad heredes pro portionibus æqualibus transeunt l. 2. §. 1. l. 4. l. 72. ff. eod. Quædam individua, quæ partis præstationem non recipiunt, & in quas facta veniunt l. 68. l. 75. cum seqq. ff. b.t. Pertinent huc Servitutes l. 17. ff. d. servitut. [c] Non facta, veluti dolum malum ab futurum l. 75.*

A

§. 7. ff.

[a] *De Stipulationibus* Frider. Alb. Maulius. *De Stipulationibus duplici* Hugo Donellus. *De contrahenda & committenda stipulatione* Joh. Bapt. Schvartzenthaler. Joh. Goëddæus. *De Dividuis & Individuis obligationibus.* Egvinar Baro. Petr. Grangianus. *De Verborum Obligationibus* Barth. Cæpolla. Hub. Giphanius. Dav. Magirus. [b] Stipulatio sumitur (1) pro sola interrogatione l. 1. 3. C. d. contr. & committ. (2) nonnunquam pro promissione l. 15. pr. d. proc. & defens. (3) pro re in stipulationem deducta l. 1. §. 2. ff. d. edend. (4) pro verborum obligatione l. 3. ff. d. fidej. (5) pro toto illo contractu, qui interrogatione & responsione constituitur rubr. C. d. contrah. & comm. stip. & ita hinc accipitur. [c] Quæ spectant ad heredem in soli-



§. 7. ff. d. V. O. amplius non agi l. 4. eod. ratum non habiturum.  
d. l. 4. (3) Aliæ dicuntur *puræ* aliæ *in diem*, aliæ *conditionales*, (4)  
in *principalem* & *accessoriam*. Hæc est *fidejussoria*, de qua infra.

TH. III. *Causa efficiens remota* est jus civile, §. de *constitut.*  
*Inst. d. act. l. 1. ff. locat. l. 14. ff. d. novat.* C. E. P. est utriusque  
& stipulantis & promittentis voluntas conjuncta cum verborum  
conceptione, quæ constat præcedenti interrogatione, & in conti-  
nenti subsequenti responsione congrua.

TH. IV. *Subiectum* sunt tam personæ stipulantes, quibus  
ex stipulatione obligatio acquiritur, quàm promittentes, qui  
ex hoc contractu aliis se obligare possunt. Stipulari autem,  
possunt omnes, qui nec impediuntur, nec prohibentur. Im-  
pediuntur (1) Furiosi §. 8. *Inst. d. inutil. stip.* (2) Muti & surdi §. 7.  
*Inst. eod.* (3) Absentes [d] l. 1. pr. ff. d. V. O. Prohibentur alii  
*in totum*, qui juris civilis communionem non habent, quales sunt  
Imperii banniti, deportati l. 17. §. 1. d. *pæn.* alii *secundùm quid*  
prohibentur stipulari ab eo, quem in dominica vel patria habent  
potestate & contra [e] §. 6. *Inst. d. inutil. stipulat.* item si non sibi,  
sed alteri stipulentur §. 4. *Inst. eod.* ratio est in l. 38. §. 17. ff. b. 1. [f]  
Promittere quoque possunt omnes, qui ex aliis contractibus se ob-  
ligare possunt. Possunt autem tam stipulandi quàm promitten-  
di duo

---

dum; velut usus d. l. 17. item actus, via, aquæ ductus, calcis coquendæ, altius  
tollendi, luminibus officendi, projectum habendi l. 2. 3. 4. 72. ff. d. V. O. [d]  
Hæc præsentia requiritur tempore celebrati contractus, non verò tempore con-  
fectæ cautionis l. 57. ff. d. *donat. int. vir. & ux.* Hinc si in instrumento dica-  
tur, quòd stipulatio inter præsentem sit contracta, fides illi instrumento adhibe-  
tur tamdiu, donec adversarius contrarium probaverit §. 11. *Inst. d. inutil. stip.* [e]  
Nulla enim obligatio vel actio inter dominum & servum, patrem & filium sub-  
sistere potest l. 7. ff. d. O. & A. l. 4. ff. d. *judic.* Excipitur filius in peculio  
castrensi vel quasi d. l. 4. ff. d. *judic.* [f] Limitatur tamen hæc assertio (1)  
si personæ alieno juri sint subiectæ. Filius enim patri, servus domino & vi-  
cissim dominus servo & pater filio stipulari potest, d. §. 4. *Inst. d. in stip.* Hinc  
mater liberis stipulari nequit Carpz. p. 2. c. 33. d. 26. (1) Si personæ ratione  
officii contrahendo obligationem aliis acquirant ut sunt tutores, curatores,  
civitatum procuratores l. 5. §. 9. ff. d. *constit. pec.* procuratores militis l. 26. ff. d.  
R. C. alii quoque procuratores, imprimis si ex re dominorum stipulantur l. 68.  
ff. d. *procur.* vel præsentibus dominis l. 79. ff. *eod.* vel ex eorum mandato  
l. 17. §. 25. ff. d. *act. emt.* (3) Si pœna stipulationi sit adjecta §. 18. *Inst. d. inutil.*  
*stipul.* (4) Si interfit ipsius stipulantis §. 19. *Inst. eod.* Quo casu ipsius stipu-



di duo pluresve Rei fieri *pr. Inst. d. duob. reis. l. 9. in pr. d. duob. reis.* ubi vocabulum Rei sumitur pro omni debitore & creditore *l. 6. d. V. S.* Estque hoc de essentia duorum Reorum credendi, ut unam rem *l. 9. in pr. d. duob. reis.* quisque suo nomine ab uno vel pluribus in solidum stipuletur *l. 2. l. 3. eod.* Est enim unum debitum *l. 9. d. pact.* una summa, una obligatio *d. l. 3. eod.* & sunt duo rei, quorum nomina simul facta sunt *d. l. 9. d. pact.* Potest autem ex duobus Reis debendi alius purè, alius sub conditione obligari. Nec impedimento erit dies, aut conditio, quo minus ab eo, qui purè obligatus est, petatur *§. ult. Instit. d. duob. reis.*

TH. V. *Objectum* est omnis res, naturâ vel jure solubilis, i. e. quæ in dando faciendove consistit, & dari fierive potest *l. 2. l. 29. ff. de V. O. §. fin. Inst. eod.* sive illa sit mobilis, sive soli, sive corporalis, sive incorporalis *pr. Inst. d. inut. stipul.* Excepto usufructu, qui absque certa persona esse nequit *l. 26. ff. d. stipul. serv.* sive absens sit, sive præsens *pr. Inst. d. inut. stip.* Quæ verò non sunt in patrimonio, non veniunt in hunc contractum v. g. Res sacræ, sanctæ, religiosæ & si quæ aliæ usui publico destinatæ; item quæ nec sunt, nec esse possunt, v. g. hypocentaurus, servus mortuus *§. 1. Inst. d. inut. stip. l. 1. §. 9. d. O. & A. l. 69. d. V. O.* Nec homo liber dominio nostro supponi potest *§. 2. Inst. d. inut. stip. l. 33. §. 5. d. V. O.* infinita enim est æstimatio libertatis *l. 106. l. 176. d. R. J. l. 103. ff. d. V. O.* ne quidem eum in casum, quo liber fiat servus, utiliter contrahitur obligatio, cum casum adversamque hominis liberi fortunam expectare neque civile, neque naturale sit. *d. §. 2. Facta quoq; in stipulationem deducuntur, modò sint propria §. 3. Inst. d. inut. stipul. possibilis & honesta l. 4. C. eod. l. 31. d. O. & A. alias stipulatio nullius est momenti §. 23. d. inutil. stip.*

TH. VI. *Forma essentialis* est legitima verborum, id est, interrogationis & responsionis conceptio; nam ex hac conceptione perfectionem suam stipulatio consequitur *§. præterea Inst. d. inut. stip.* Ut autem conceptio hæc verborum sit legitima, oportet eam esse (1) continuam [g] *l. 137. ff. d. V. O.* (2) congruam [h] *l. 1. §. 1.*

lanti acquiritur Carpz. *d. c. 33. def. fin.* [g] Illa tamen continuitas civiliter est accipienda, ut non omne intervallum excludatur, quale est unius diei *l. 6. §. 3. l. 12. d. duob. reis.* Olim quidem eodem verbo, quo quis interroga-



*l. 1. §. 1. 2. 3. §. fin. ff. h. t.* Forma *accidentalis* est, quod fiat tum pure, vel in diem, vel sub conditione *§. omnis stipulatio Inst. h. t.* tum sub alternatione *l. 2. §. 1. in fin. l. 12. 16. pr. ff. eod.* vel generaliter, vel specialiter *d. l. 2. §. 1.*

TH. VII. *Finis* est, ut obligationes firmentur, *l. 7. §. 12. d. pact.* Est enim omnis Verborum obligatio naturâ suâ cautionalis, h. e. ut quis cautior & securior sit interposita stipulatione *l. 1. §. 4. d. stipul. prator.*

TH. VIII. *Effectus* alius est primus, sc. *obligatio pr. Inst. d. V. O.* alius ex primo ortus, sc. *actio*, quæ aliàs dicitur *condictio ex stipulatu*, quæ actio ratione objecti, non verò intuitu personarum duplex est testante id *d. pr. Inst. d. V. O.* ita ut si certum in stipulationem deductum sit, *condictio certi*, [ i ] si incertum, *condictio incerti* dicatur. ]

TH. IX. *Contraria* sunt quod sit *inutilis* vel *ipso jure* vel *ope exceptionis*. Illud fit vel ob causam efficientem vel subiectum, vel objectum, vel formam &c. de quibus supra. Ope exceptionis fit. I. Quando objicitur exceptio doli *l. 36. d. V. O.* vid. supr. disput. *de conventionib. in genere tb.* II. Cùm exceptio metûs, vel cruciatûs corporis movetur *l. 9. C. d. V. O.* III. Quando causa stipulationis injusta & falsa est *l. 2. §. 3. d. dol. & met.*

TH. X.

rus v. gr. spondes, etiam respondendum fuit *§. 1. Inst. d. V. O.* Quæ solennitas hodie immutata est *l. 10. C. d. contrah. stip.* adeo ut hodie stipulatio talis valeat, si quæram: *dabis?* & respondeas, *quidni.* [h] Nisi enim interrogationi responsio congruit, aut manifestus apparet dissensus, aut vitiatur & corrumpitur forma stipulationis, cùm non sit eadem, sed diversa verborum conceptio. [i] Certum est quod ex ipsâ appellatione & pronunciatione quid, quale, quantumve sit, apparet. *Species* nomine ipso fiunt certæ, ut Stichus, fundus Tusculanus. *Quantitates* autem fiunt certæ ob qualitatem & quantitatem, ut 10 aurei, vini Rhenani optimi amphora. In *pecunia* tantùm exponitur quantitas, ut 10 aurei, non verò qualitas, quia in nummis tantùm cernitur quantitas Giphani. *ad l. 75. V. O. n. 10.* Præter actionem ex stipulatu, (quæ est actio personalis, perpetua, civilis, rei persecutoria, stricti juris, quæ datur stipulanti, ejusque heredibus adversus promissorem ejusque heredem ad hoc, ut rem promissam det, vel factum præstet) datur quoque *condictio triticaria*, quæ de omnibus omnino rebus, fungibilibus & non fungibilibus, [corporalibus & incorporalibus, mobilibus & immobilibus] competit *l. 1. pr. ff. d. condict. tritic.* exceptâ pecuniâ numeratâ, quippe quæ omnem æstimationem respicit Franzk. & Eckold. *ad tit. ff. d. condict. tritic.*



Th. X. *Accessoria stipulatio est Fidejussio*, [k] quâ quis pro alieno debito fidem suam apud creditorem, citra novationem, interponit, majoris securitatis gratia *l. 1. in fin. ff. qui satisd. cog. l. 5. §. 2. d. V. O.*

Th. XI. *Dividitur fidejussio* (1) in *civilem*, quæ interponitur in causa civili *l. 16. §. 3. b. 1. & criminalem*, quæ criminali *l. 8. §. 5. eod.* (2) in *judicalem*, quæ propriè *satisdatio* appellatur *l. 4. ff. d. custod. reor. & extrajudicalem*, quæ fit extra judicium, quâ in contractibus frequenter utimur, vid. Matth. Coler. *d. process. execut. p. 1. c. 10. n. 253. & seqq.* (3) In *principalem*, quæ & *expromissio* vocatur, quâ quis se ut principalem obligavit. *Succedanea* s. subalternam, qua cum primus ante per stipulationem se obligasset alter ad majorem securitatem fidem suam interponit, *l. 8. §. ult. ff. d. fidej. vulgo Rückbürgschaft.* *Indemnitas*, quâ quis se obligat ad id, quanto minus creditor à debitore consequi potest, vulgo *Schadloßbürgschaft.* (4) *De judicio sisti* [l] *De judicato solvendo. De representando* [m] Plures divisiones vide apud Hering. *tr. d. fidejuss. cap. 4.*

Th. XII. Possunt fidejubere omnes qui stipulari *arg. l. 8. pr. ff. d. fidej.* sive patresf. sint sive filii *l. 3. §. 5. ff. d. pecul. & l. 8. C. d. fidej.* etiam servi in causa peculiari *d. l. 3. §. 5. & l. 19. ff. d. fidej.* Nisi prohibeantur vid. supra Th. IV. Speciatim prohibentur lege (1) *Mulier* [n] *t. t. ff. & C. ad SC. Vellej.* (2) *l. 31. C. locat.* (3)

A 3

Clericus,

[k] Appellatur quoque *sponsio*. Quamvis aliàs sponsionis vocabulum latius pateat & omnem omnino promissionem comprehendit *arg. l. 7. ff. d. V. S.* ibique Gædd. Erronea est DD. traditio, quod Sponsor à fidejussore in eo differat, quòd Sponsor spontè, Fidejussor autem rogatus pro alio interveniat: Nam & fidejussorem rectè accedere, licet rogatus sit, patet ex *l. 5. ff. d. neg. gest. & l. 30. ff. d. fidejuss.* Ludvvell. *exercit. ad inst. 12. th. 6.* [l] *De fidejussore de judicio sisti & judicato solvendo* Q. An is teneatur, si mutatus fuit iudex per evocationem causæ ad superiorem vel per appellationem? Affirm. vid. Ludov. à Peguera *decis. aur. Catalan. 69. n. 1. & vers. prædictis tamen.* [m] Fidejussor de representando vel est *simplex*, vel cum clausula *toties quoties*, de quo posteriori Q. An is sit liberatus, si reus denuò per eundem iudicem capiatur & aufugiat, vel quocunque alio modo relaxetur à carceribus? Affirm. sive pro eadem causâ, sive pro alia reus denuò captus fuerit vid. Peguera *d. l.* [n] tum propter sexus muliebris imbecillitatem, multis captionum generibus



*Clericus, c. 1. in fin. ne cler. aut monach. (4) Vasallus, si bona feudalia in obligationem deducit, c. Imperialem d. probib. feud. alien. Eriker. Quibus datur fidejussor sunt Creditores, [o] quibus reus principalis obligatus est. Coguntur autem quidam dare fidejussores, quidam non. Coguntur imprimis (1) Debitor Creditori l. 40. d. minor. (2) Qui de fuga suspectus est l. 7. § fin. qui satisd. cogunt. (3) Qui bonis cesserunt Hering. d. l. c. 5. n. 43. (4) Qui rescriptum monatorium impetrarunt l. 4. C. d. prec. imp. off. (5) Tutor & Curator t. t. d. fidej. tut. (5) Accusator a. u. b. generaliter C. d. Episc. & Cler. (7) Usufructuarius l. 4. C. d. usufr.*

TH. XIII. Omni omnino obligationi, honestæ [p] tamen, & licitæ, sive re, sive verbis, literis aut consensu constet, naturali, civili, vel mixtæ, nec non criminali [q] accedere potest §. 1. Inst. d. fidejuss. l. 1. 2. 7. 8. §. 1. l. 16. §. 3. ff. eod.

TH. XIV. Forma fidejussionis substantialis est, ut stipulatio [r] verbis congruis interponatur l. 8. h. i. l. 2. 3. 6. 12. C. eod. Forma

expositum, tum quod naturali quodam vitio imprudentes magis sint, quam viri, unde eas dixit Aristot. lib. 9. d. histor. anim. fluxæ esse fidei; præterea etiam, quod virile quoddam munus sit fidejubere l. 18. C. d. procur. Idcirco si mulieres de facto pro aliquo fidem interposuerint, ipsis Senatusconsulto succurritur, exceptionis l. 11. ff. ad SC. Maced. replicationis, in casu l. 17. §. 1. l. fin. §. 2. ff. ad SC. Vell. conditionis denique, si solverint l. 40. ff. d. condict. indeb. l. 8. §. 3. ff. ad SC. Vellej. Adeo ut si uxor & maritus unâ obligati fuerint, præsumitur totum potius ad maritum quam ad uxorem pervenisse, nec mulier intercessisse credatur l. 17. §. fin. ff. ad SC. Vellej. l. 13. C. eod. nisi in quantum probatum fuerit in rem ejus pervenisse a. u. b. si qua mulier C. d. r. Nov. 134. c. 3. Potest tamen mulier huic beneficio SC. renunciare vid. Colleg. nostr. publ. ad tit. ff. d. R. J. n. 2. [o] Creditoris voluntas hîc potissimum spectanda, nec enim in potestate debitoris est, quemcunque fidejussorem obtrudere Hering. d. fidej. c. 2. n. 29. & 30. [p] Honestatis quoque ratione excluduntur illæ obligationes quæ ob metum mortis, vel cruciatum corporis, vel alio quovis modo contra leges initæ sunt Wesenb. ad tit. ff. de fidej. n. 4. Unde & propter dotem conservandam fidejussor intervenire prohibetur l. 1. & 2. C. ne fidej. dot. dent. [q] Quoad causas criminales distingvendum inter delicta quæ habent pœnam corporis afflictivam, & quæ tantum pecuniariam. In his, cum fidejussio expeditiorem pœnæ exceptionem præstet, parumque intersit, à quo pœna solvatur, cum fidejussor actione mandati, quod solvit, à reo recuperare possit, fidejussores ut admittantur humanius est. In illis verò fidejussores non recipiuntur l. 3. ff. d. custod. reor. [r] Cui consequens, quòd jure civili fidejussio inter absentes nequaquam expediri possit Hering. c. 11. num. 30.



ma *accidentalis* est, ut (1) fidejussor accipiatur in eandem vel le-  
viorem causam §. *Inst. d. fidej.* (2) sit idoneus *l. 2. in pr. ff. qui sa-  
tis d. cog.* (3) purè accedat, vel ex die vel conditione, (4) quanto-  
cunque tempore (5) ante contractam obligationem principa-  
lem, cum ipsa & post ipsam (6) reiteratò etiam quoties opus (7)  
in eo loco, ubi contractum vel promissum est.

TH. XV. *Finis* principalis est, ut magis cautum sit credito-  
ri; minus principalis, ut debitor id quod petit faciliùs consequa-  
tur *pr. Inst. b. t. l. 1. §. 8. in fin. ff. d. O. & A.*

TH. XVI. *Effectus* consistunt (I.) in *obligatione*, quòd fide-  
jussor suo nomine suâque promissione creditori sit adstrictus in  
subsidiùm, ad id, quod ab initio contractus conventum est *l. 68.  
§. 1. b. t.* & est transitoria ad heredes *l. 149. d. R. J.* (II.) in *remediis*,  
quæ ex negotio fidejussionis ejusve occasione oriuntur, quæ va-  
ria sunt tam actori quàm reo competentia. Eaque dantur vel *Credi-  
tori* contra fidejussorem, qualis actio si res certæ in obligatio-  
nem deductæ, *condictio certi*, si verò res incertæ, *actio ex stipu-  
latu*; vel *Fidejussori*, tam contra *debitorem*, uti est (1) *actio man-  
dati contraria* ad repetendum id quod pro eo solvit §. 4. *Inst. d.  
fidej.* (2) *negotiorum gestorum*, si pro absente fidejusserit, nec rati-  
habitiò secuta sit *l. 3. §. fin. l. 4. & 5. d. neg. gest.* (3) *institoria* sc.  
illis casibus, quibus directæ actiones dari nequeunt *l. 5. §. 15. d. inst.  
act.* (4) *de peculio* (5) *Retentio pignoris* *l. 32. ff. d. neg. gest.* quàm  
contra *creditorem* competit (1) *Condictio indebiti* si suo nomi-  
ne solvit, quod non debet *l. 47. d. condict. indeb.* (2) *doli exceptio*,  
si indebitam pecuniam, quasi ex causa fidejussionis obstrictus, in  
cautionem per errorem deduxerit *l. 12. l. 15. C. b. t.* (3) *Implora-  
tio officii judicis* antequam conveniatur fidejussor, ut fiat divisio,  
isque ratam suam solvat, & postea pro reliqua parte imponatur  
silentium Creditori *Gloss. in l. sterilis §. centum ff. d. liber. legat.*  
(4) *Beneficium* *l. si contendat ff. d. fidejussor.* Contra *Confidejusso-  
res*

---

n. 107. Si tamen in instrumento aliquem fidejussisse reperiatur, solenniter &  
mediante stipulatione id factum præsumitur per text. in §. *fin. Inst. d. V. O. l. 30.  
d. V. O.* Comuni tamen quasi Germaniæ practica receptum esse, ut non  
minus valeant fidejussiones per epistolam contractæ, quàm si legitimo jure h. e.  
præcedente inrerrogatione & subsequenti responsione inter præsentem celebra-



res fidejussori comparata est (1) actio pro socio, ubi fidejussores sunt socii *l. 1. C. d. duob. reis* (2) ex stipulatu, si solverit integram summam fidejussor, & creditor ipsi cessit suâ actione (3) actio hypothecaria utilis *l. 2. l. 11. l. 14. C. d. fidej.* Vid. Hering. *d. l. c. 15.* (III.) in beneficiis & exceptionibus inter quas est (1) beneficium ordinis s. excusationis, [s] *auth. præsentis C. d. fidej. Nov. 4. c. 1.* Nisi (1) expressè & specialiter huic beneficio renunciaverint *arg. l. si quis 51. C. d. Episc. & cler.* (2) vel reus principalis absens, puta extra territorium sit *d. Nov. 4. c. 1.* quia acerbum esset, dum debitor principalis abesset, fidejussor verò adesset, creditorem aliò mittere. (3) vel pater pro filio fidejusserit *l. 3. §. 4. ff. d. min* (2) *Benef. divisionis* seu epistola D. Adriani, [t] modò isti confidejussores pro uno debitore, non verò pro pluribus item pro unâ eademque pecuniæ summa intercesserint vid. DD. in *l. si à Titio 43. ff. eod.* & litis contestatæ tempore omnes solvendo fuerint *l. 3. C. eod.* (3) *Benef. cedendarum actionum.* [u] Hæc exceptio adeò justa est & tanti roboris, ut creditorem recusantem ab actione repellere valeat, & lapsi interea temporis usuras fidejussor non debeat, etiam in casu non obsignati debiti, & diei vel loci ad solutionem dicti, non enim in morâ est is, à quo pecunia propter exceptionem peti non potest *l. 40. in fin. ff. d. R. 7.*

TH. XVII. *Affinia* sunt (1) *Mandatum*, (2) *Expromissio* & *Constitutum.*

TH. XVIII. *Contraria* sunt eadem quibus principalis obligatio solvitur.

tæ essent testatur Hering. *de fidej. c. 11. n. 82.* [s] Quod concessum est fidejussoribus, ne bonis principalis debitoris nondum excussis, ipsi cum effectu conveniantur vid. Lauterbach. *disp. d. benef. excuss.* [t] Competens pluribus fidejussoribus ne ab uno solidum, sed à singulis præsentibus & tempore litis contestatæ solvendo existentibus viriles portiones exigantur Lauterbach. *disp. d. benef. divisionis.* [u] Quod datur uni ex pluribus fidejussoribus convento, adversus creditorem ut actionem, quam ipse habet contra debitorem vel confidejussorem cedat, quoad viriles portiones, eâ tantum, quam fidejussor solvit detractâ *l. 17. l. 36. l. 39. ff. d. fidejuss.* Vid. Joann. à Sande *tr. d. action. cess. cap. 6. aphor. 16. n. 32. & seqq.* Quod si autem ante cessas sibi actiones solverit, nulla actio contra confidejussores illi superest, tum unius solutione cæteri liberentur, nisi forte pactum vel protestatio præcesserit *l. 76. ff. d. solut. l. 39. d. fidej.* Quin tamen etiam post solutionem factam cessio adhuc fieri possit, licet confidejussor in initio petere neglexerit, tradit Carpz. *p. 2. c. 17. def. 16.*



## COROLLARIA:

### I.

**I**N conventione pura neque obligatio neque actio differ-  
tur, sed statim peti potest, §. 2. *Inst. l. 41. §. 1. ff. d. V. O.* Quod  
tamen cum temperamento temporis accipiendum, nec  
enim cum sacco debitorem creditor adire debet *l. 105. d. so-  
lut. §. ult. Inst. d. inut. stipul.* Modicum verò illud tempus ar-  
bitrio iudicis dijudicandum *l. 135. l. 137. §. 2. ff. d. V. O.*

### II.

In conventione in certum diem obligatio quasi est præ-  
sens, sed solutio ejus differtur in diem §. 2. *Inst. d. V. O. l. 46. in-  
pr. ff. eod.*

### III.

In conventione in diem incertum, hic comparatur  
conditioni *l. 21. quand. dies legat.*

### IV.

Locus & tempus obligationi adjectum faciunt tacitè  
inesse diem §. 5. *Inst. d. V. O.*

### V.

In obligatione in diem totus dies cedit debitori, nec  
ipso die in quem obligatio collata est, peti potest §. 2. *Inst. d. V.  
O. l. 41. l. 137. ff. eod.*

### VI.

Obligatio in annos singulos ex conventione est una, per-  
petua, pura *l. 16. §. 1. ff. d. V. O. l. 35. §. ult. d. mort. c. d.* In hoc verò  
consistit illa unitas, ut eadem obligatio in heredes perpetue-  
tur, adeoq; doli & pacti exceptione ad submovendum here-  
dem opus est §. 3. *Inst. d. V. O.* Quod secus est in legatis, ubi  
quotannis jus capiendi inspicitur *l. 12. §. 4. quand. dies leg.*

### VII.

Conditio propriè dicta in futurum conjecta esse, & ob-  
ligationem suspendere debet *l. 6. Inst. d. V. O. l. 120. ff. eod. l. 213.  
d. V. S.* Ante conditionis enim existentiam neque cessit, neq;  
venit dies *d. l. 213. d. V. S.* Sed duntaxat spes est debitum iri  
§. 4. *Inst. d. V. O.* Existens autem conditio retrò purificat ob-  
ligationem quasi ab initio purè & simpliciter contracta fuis-  
set *l. 11. §. 1. qui pot. in gign.* Si verò creditor pendente condi-  
tione moritur, jus petendi, quod in spe est, in heredem trans-  
mittit §. 4. *Inst. d. V. O. l. 8. ff. d. peric. & comm. rei vend.*

Quocunque



**Q**uocunque virtus incolit semel, semper  
Coluisse eandem judicant. In illorum  
Te conspicamur coetibus celebrandis,  
Quem disputationibus juvat cultam  
Percrebrioribus probasse virtutem:  
Nunc addis hanc. Quam jugiter colis, cultu  
Te prosequetur mutuo, nec optata  
Frustrabitur virtus praemia concepta.

*Denuò gratulans*

*scr.*

**PRÆSES.**

---

**A**Tria qui Themidos celeri sectatur amore  
Præparat huic celerem gloria vera viam.  
Pervigil HOFMANNUS mediam pertransit in au-  
lam,

Egregia cathedram dexteritate petens.  
Apprecor, hi clari cedant feliciter ausus,  
Et pariant Domino commoda mille suo!


*Exiguus hisce*

*Clarè Docto ac Nobilissimo Dno. Respondenti,  
Fautori suo honoratissimo ac amico s'varissi-  
mo gratulabundum suum affectum te-  
stari voluit*


**E. Eibsen, Holfat.**














Stück 10 ergänzt in Ol  
(falsche Färbung)

V077







99 A 6920

ULB Halle

3

002 622 963



VD17








Voll







16a

DISPUTATIO  
DE  
**VERBORUM**  
**OBLIGATIONIBUS**  
SEU  
**STIPULATIONIBUS,**

*QUAM*

PRÆSIDE

**DN. PETRO MÜLLERO,**

u. J. D. & Prof. Ordini.

*Ad d. Novembr. clj lcc LXXXII.*

In Auditorio Jctorum

Publice ventilandam sistit

**AUGUSTUS Hoffmann / Halâ-Saxo.**

JENÆ, Characterè NISIANO.

*17. Ho. Magnific. J. Hoffmann Gueltern.*

